Hic itaque finis erit dialectices, docere pro facultate rei de qua disseritur, id est, invenire quae fidei faciendae sint apta, et inventa disponere atque ut ad docendum quam accommodatissima sint ordinare. Iudicandi enim partem hoc ipso, quod faciendae fidei apta invenire[45] debere praescribo, comprehensam in praesentia velim, namque perinde videtur non invenire et invenire eiusmodi, quae iudicentur instituto nostro apta non esse.

2,6. MATERIAM DIALECTICES QUAESTIONEM ESSE ET QUID ALII DE HOC SENSERINT

Hinc[46] igitur ea, de quibus hoc libro dicturos nos praediximus, exequamur eo quo proposuimus ordine. Tria erant quibus disserendi facultatem constare voluimus, materia, instrumentum et tractatus. Materia ordine est prima, primum ergo illa nobis explicetur.

Ne quem fallat autem nominis huius ambiguitas, illud admonitum velim materiam artium quandoque dici id, quod artibus docetur et circa quod versatur cura consideratioque illarum, quod et subiectum vocari priore libro diximus. Sic materiam dialectices possumus dicere argumentationem, ut plerique, vel, ut nos, dictionem probabilem, quanquam parum haec ipsa divertant. Dicimus etiam materiam artium id, in quod opus suum explicant, quemadmodum statuarii materiam dicimus aes, marmor, gipsum, ceram, omne id denique ex quo simulacrum aliquod aut imaginem effingere potest, et figuli materiam lutum,

45 inuenire *P2 A1* inueniri *S U Ep P1.*
46 Hinc *S Ep P1 P1* Nunc *U A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

et fabri ligna. Lignis autem proprium est materiae nomen ; ab his enim ad reliqua similitudine traductum est, nosque in hanc significationem in praesentia de materia dialectices quaerimus.

Istam quae sit videmur commodissime ex opere dialectices posse perspicere. Si enim est opus illius, quod praediximus, probabiliter dicere, quicquid id est in quod hoc opus suum exercere et experiri possit, id videbitur utique materia illius esse. Probabiliter autem dicere de omni eo, quod in orationem deducitur, possumus aut revera probabiliter aut quatenus res de qua dicimus permittit ; quod cuiusmodi sit, praedixi-mus. Omne igitur id de quo ordine apteque ad fidem dici potest, id erit dialectices materia. Quod si uno nomine complecti volemus[47], haud erit difficile. De quocunque enim fidem conamur facere, id necesse est accipi tanquam dubium incertumque sit. Nemo enim rem apertam, quatenus est aperta, sumit docendam, sed ut contendi de ea et ambigi possit. Quicquid autem tanquam dubitatum in medium profertur, id vocant quaestionem, erit ergo quaestio materia dialectices. Nec invenio quam illi certiorem aliam aut arctioribus circumscriptam terminis assignem.

Scio tamen esse quibus aliter videtur, quorum non est dissimulanda nobis sententia. Hi putant, si tam late tendamus materiam dialectices, ut de quocunque probabiliter possit dici, id subiciamus curae ipsius, omnes fere artes aut supervacuas futuras aut intra dialectices ius pos-sessionemque venturas. Omnes enim propemodum probabiliter de eo quod docendum sumpserunt disserunt ; nam eorum, quae necessaria et indubitata esse possint a nobis comprehendi non ita magna est copia et,

47 uolemus *S P2 A1* volemus *Ep P1* volumus *U.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

si Academiae credimus, prorsus nulla. Id quod nemo negat, quae ad vitam moresque pertinent, quae item ad rerum naturae notitiam, nihil est quod non sit controversum et magnis ingeniis omnes in partes iactatum. De his ergo omnibus probabilia utcunque disseruntur, quoniam necessaria non possunt ; nam si ne probabilia quidem possent, nemo vel disceret ea vel doceret. Quod si probabile dicimus non modo quod ambigue et in utramque partem dici potest, sed ut quo certius quicque est, eo probabilius sit, et quod indubitatum sit, id maxime videatur probabile, omnes artes quaecunque demum sunt ex probabilibus constabunt.

Cum singulae ergo de his rebus quas profitentur probabiliter dicant, quid iam loci dialecticae de omnibus rebus dicendi relictum erit ? Aut quid opus est per omnes ire nos diripique artes, si, quod cunctae pollicentur, poterit dialectice sola praestare ? Aristoteles itaque dialecticen tribus his utilem putavit, exercitationi disserendi, confutando adversario, et probandis primis artium principiis eis quae oportet quamlibet artem velut explorata certaque habere. Quia enim prima sunt, artes ipsae nequeunt ea probare, velut praecedentia illas et credenda discenti ; ab hac itaque velut publica quadam omnium ministra petendam eis fidem est arbitratus. In reliquo scientiarum progressu nihil loci reliquit dialecticae. Duos tamen libros, qui Posteriorum Resolutoriorum inscribuntur, edidit, quibus ea complexus est quae ad rationem tradendarum artium pertinent. Ergo quod attinet ad institutum nostrum, non quaestionem dialectico vult propositam esse, sed id quod πρόβλημα Graeci dicunt, quod nos vel sciscitationem vel percontationem dicere possumus ; plerique Graeco maluerunt uti. Percontationem vult esse id de quo pariter estne an non est quaeritur, ut : « Estne mundus aeternus an non ? », « Estne sol maior tota terra

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

an non ? » Id autem quod solum in unam partem effertur, ut : « Ecquid est immortalis anima ? », « Ecquid virtus est summum bonum ?, » id πρότασιν, hoc est, propositionem vocavit ; et propositionem quidem non omnem dialecticam esse, sed eam solum quae neque fidei prorsus neque dubitationis sit expers, neque enim quemquam proponere : « Sitne nix nigra ? », aut « Sitne homo animal ? » ; nihil autem inter percontationem et propositionem interesse nisi efferendi diversitatem. Quibus colligere paratum est Aristotelem voluisse ea sola pertinere ad dialecticum, de quibus ambas in partes disseri posset et ea posset via, qua non essent certis artium finibus comprehensa.

2,7. RESPONDET PRAEDICTIS DOCETQUE QUO MODO DIALECTICE, QUOMODO RELIQUARUM ARTIUM SINGULAE SINGULIS DE REBUS DISSERANT

Dicamus ergo quo pacto reliquae artes et quo dialectice de rebus disserit, et quid intersit distinguamus. Primum constat artes omnes paulatim et per incrementa repertas esse, neque quisquam idem artem aliquam coepit[48] et absolvit. Prima autem initia a sensuum observatione profecta sunt, ut cum viderent homines aliquid iterum tertiove et saepius itidem fieri, experimento saepius itidem fieri, experimento sumpto, ausi sunt tandem affirmare prorsus sic se rem in omnibus habere ; ut cui primum curae fuit scrutari rerum naturam, cum videret plantas animaliaque non nisi e semine procreari, deinde ducto per radices humore aut cibo per os hausto augescere, laterem nisi luto non excoqui, cinerem non fieri nisi ex aliquo quod ureretur, sicque reliqua quaecunque gignerentur prius aliquid ex quo fierent habere, tanquam firmum exploratumque demum constituit nihil ex nihilo gigni ; simili via collegit etiam omnia quaecunque fiunt efficientis alicuius vi fieri.

48 coepit *SU* cœpit *A1* reperit *Ep P1 P2.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.